



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Licèt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tus sit, ea quæ dicta sunt, præstare potest, uti dixi in c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6. & in c. contingit, 3. in fine, extrâ de transact. & docet Bartolus in l. mandato, 60. ff. de procurat. Quare procurator ad lites, cui insuper libera causæ administratio commissa est, transigere etiam aut compromittere poterit, uti etiam indicatur in l. procurator cui, 58. ff. eod.

Similiter dicendum de procuratore ad negotia generaliter constituto, quod alienare & transigere absque speciali mandato non possit, ut hoc c. indicatur, & habetur in cit. l. mandato, & l. procurator totorum, 63. ff. eod. Si autem libera bonorum administratio data sit, tum omnia facere potest, præterquam quod donare non possit, uti dixi in cit. c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6.

## CAPITVLVM V.

## Qui generaliter.

Qui procurator ad negotia generalis constitutus est, is etiam agere, ac defendere in iudicio potest, exceptis casibus, qui mandatum speciale requirunt. Hos speciales casus Gl. recenset in c. præced. ver. vel pacifici.

NOTANDVM Vn. Procurator constitutus ad omnia negotia, censetur etiam constitutus ad agendas causas in iudicio, cum & hæc negotia quædam sint. Sed non vice versa, constitutus procurator ad causas iudicarias, alia etiam negotia domini expedire potest. Cum mandatum extendi non debeat de causa ad casum, l. si procurator, 10. C. eod.

## §. Nedum.

Illiusfam. absque patris consensu procurator esse potest non tantum ad negotia, sed etiam ad iudicia. Hac de re dixi in c. penult. not. 1. hoc tit. in antiquis.

## §. Licet.

Procurator ad iudicia constitui non potest, nisi maior xxv. annis: Sed procu-

ratori ad negotia sufficiat anni xvii. completi. Hac de re dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator.

## CAPITVLVM VI.

## Si duo.

## PARAPHRASIS.

Si duo Procuratores simul constituti sint simpliciter, vnus sine altero admitti non debet: Secus verò est, si yterque in solidum deputatus sit: tunc ille præferendus est, qui causam per lites contestationem præoccupauit: Ita ut alter se postea immiscere haud possit; cum ille dominus lites effectus fuerit. Quod si verò in mandato adiectum sit, ut occupantis melior conditio non sit, hæc clausula saltem id operabitur, ut si illum mori, abesse, aut morbo aliæque ratione impediri contigerit, alter causam inchoatam assumere & perficere possit: præterquam si alium sibi procuratorem substituerit, is enim præferri debet.

## SUMMARIVM.

Si duo procuratores super eadem causâ successiue constituti sint, posteriore constituto censi debet reuocatus prior. Si simul autem sint ambo constituti & simpliciter, ambo admitti debent, ita ut vnus sine altero nil efficiat; si yterque in solidum, tunc vno per lites contestationem præoccupante, alter omnino exclusus est, nisi clausula in mandato contenta vnus præoccupationi, & alterius exclusioni præiudicet.

Si duo procuratores super eadem causa, seu lite constituantur, ita distingue: Vel simul constituti sunt, vel non simul. Si hoc secundum, posteriore in eadem causa designato, censi debet prior reuocatus, c. si quis, 31. §. Iulianus, ff. eod. Idque locum habet, tametsi posterior mandatum non suscepit.

H h h h h 2      secun-